

**Tempus ad refectionem unguium aptum
edocere, Canon VII.**

Nabscisione unguium seclusis impedimentis supra annotatis, sit Luna aucta lumine & motu, & in aliqua domorum Veneris, vel Ariete, aut Leone, Venerem aspiciens, vel Solem radio amicabili. Geminos aut & Pisces praeceteris signis, tum pro Lunae loco, tum pro ascendentे reij cimus. In hora etiam ipsa Luna sit in aliqua succedente. Maleficæ vero ab angulis remotæ sint, non inficientes ascendens neq; dominum eius. Id autem ob seruari conuenit, quod nonnulli ex improuida unguium sectione, unguies difformes fieri, aut apostemata circa eos enasci affirmant.

**Diversa corporis membra, uirtutes, & operationes,
sub fœlici constellatione, medicaminibus
appropriatis confortare.
Canon VIII.**

Aembrum ægrum saluberrime confortatur, dum signum idem membrum ægrum respiciens à maleficiis & radib; eorum infortunatis immune fuerit, & Luna ab impedimentis suis libera in bono aspeetu, vel coniunctione beneficarum, illud signum tenuerit. Habet & haec res magnam ad confortandum uim, si planetæ eius membris, & ascendens horæ, in dispositione laudabili, constituentur. Virtutes quoq; bonam recipiunt confortationem, dum significatores eorum fœliciter ex coelesti figura defluxerint, signaq; membrorum, in quibus uirtutum ipsarum est sedes, ab omni infortuniorum generi libera fuerint. Inter uirtutes autem principales, autore Ptolemæo, uitalis Soli, naturalis Ioui cum Luna, animalis cum partibus suis & maxime appræhensiua Mercurio debetur. Præterea illæ, quæ minus principales, partim ministrantes, partim misistratæ à medicis appellari solent, non æque uni, sed diuersis subsunt significatoribus. Attractiua enim & irascibilis Marti, igneisq; signis. Retentiua Saturno cum terreis signis. Digestiua Ioui cum aëreis. Expultiua Lunæ cum aquaticis subditæ sunt. At generatiua & concupiscibilis Veneri, & luxuriosis signis, & multam problem significantibus. Vegetatiua Lunæ & humidis signis attribuuntur. Virtutibus itaq; eo modo bene confortatis, operationes demum bonas atq; incolumes procedere rationabiliter coniectari licet.

**Plantandi & seminandi tempora explo-
rare. Canon IX.**

Amet si Lunam ueteres agriculturæ scriptores pro tempore, ad seminandum & plantandum, idoneo, maxime obseruare consueuerunt. Est tamen ex eorundem sententia, non minus terræ colendæ, seminumq; & surculorum inserendorum, ac uniuersalium temporum naturæ & qualitatis habenda ratio. Nam si in terram humidam, aut semen humidum seminare aut plantare uolueris, id teste Plinio, sub interlunio, decrescente luna commodius facies. Si vero in terram aridam, aut semen aridum serere animus est,

Luna